

Admodum R<sup>de</sup> Pater, et frater in Christo charissime. Miratus  
 sum valde isthic in Belgio doctrinam Michaelis Baii renovari, et  
 breve apostolicum per R<sup>mum</sup> Nuncium, Sixvo V sedente, promulgatum,  
 contemni. Opto R<sup>tiam</sup> V<sup>am</sup> aliquid authenticum ad me mittere, quo  
 fidem facere possim vera esse, quae R<sup>tia</sup> V<sup>a</sup> narravit. Id fieret,  
 si vel theses impressas, vel descriptas lectiones aliquas doctorum  
 istorum huc mitteret, in quibus verbis ipsorum haberentur quae R<sup>a</sup>  
 V<sup>a</sup> retulit eos docere, videlicet nullum esse auxilium sufficiens,  
 sed omne efficax. Item efficax auxilium in physica praemotione et  
 applicatione situm esse. Item efficaci auxilio voluntatem resis-  
 tere non posse. Item contrariam sententiam erroris vel haeresis  
 censura dignam esse.

Haec si ad me cito mittantur, remedium, Deo volente, istis  
 novitatibus adferetur. Si possemus etiam certiores fieri, quibus  
 auctoribus mendacia tam manifesta spargantur de condemnatione doc-  
 trinae Societatis, ac potissimum si ex Urbe Roma ista scribantur,  
 et a quibus, efficerem profecto ut eos mendaciorum suorum vehemen-  
 ter poeniteret. Interim R.V. bono animo sit, ac pro persecutori-  
 bus et calumniantibus orare non negligat. V<sup>ale</sup>, frater charissi-  
 me, meque apud Deum precibus tuis iuva. Romae die Natalis Domini  
 1606.

---

Paris, Bibl.nationale, fonds Dupuy, ms.490, fol.92. Minuté autogr.

Copie dans Fonds italiens 2061.